

**www.e-rara.ch**

**Trigeminum lilium in areolis Quirini seu oratio pro exceptione  
eminentissimi ac reverendissimi domini domini Angeli Mariae Tit. S.  
praxedis Cardinalis Quirini**

**Balthasar, Basilius**

**Typis Principalis Monasterii S. Galli, 1747**

**Stiftsbibliothek St. Gallen**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117488>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

191

TRIGEMINUM LILIUM

IN AREOLIS

QUIRINI

SEU

ORATIO

PRO EXCEPTIONE

EMINENT.<sup>MI</sup> AC REVEREND.<sup>MI</sup>

*DOMINI DOMINI*

ANGELI MARIAE

TIT. S. PRAXEDIS CARDINALIS

QUIRINI

BRIXIENSIS EPISCOPI

DUCIS, MARCHIONIS, COMITIS, &c.

S. R. E. BIBLIOTHECARIJ

*Dicta*

In Conventu S. Galli

Anno MDCCXLVII. Die 26. Septembris.

1747

Abs P. Basilio Balthasar Capit. S. Galli, ac Archi-  
vista ejusdem Monasterij.

Additis tribus orationibus Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ, quibus Al-  
tefatus Eminent.<sup>mus</sup> in Basilica S. Galli exceptus est.

*Cum Licentia Superiorum.*

Typis Principalis Monasterij S. Galli,

STIFTSBIBLIOTHEK

16.421

ST. GALLEN

n  
c  
n  
ft  
d  
ju  
C  
g  
d  
g  
C  
n  
ci  
le  
li  
m  
c  
p  
B  
ra



# ORATIO.




Uonam arcano , & admirabili Divinæ Providentiæ consilio , Eminent.<sup>me</sup> ac Reverend.<sup>me</sup> Domine , Domine ANGELE MARIA , Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis QUIRINE , Brixienſis Episcopo , Dux , Marchio , Comes , S. R. E. Bibliothecarie , Domine , Domine Clementissime. Ill.<sup>mi</sup> ac Rev.<sup>mi</sup> S. R. I. Principes , Domini , Domini Gratioſ.<sup>mi</sup> cæterique Hospites , ac Auditores , quâ religione , quâ doctrinâ ornatissimi , venerandissimi. Quo-

nam arcano , & admirabili Divinæ Providentiæ consilio fieri dicam , ut jam à plus undecim seculis , quibus inter tam luculentâ novercantis fortunæ pericula inconcussum stat Monasterium nostrum , semper nobis magna quædam lumina , primæque magnitudinis stellæ exortæ fuerint , latèque diffuso illustrissimi adventûs sui jubare , magni Hospites , omne desertum nostrum collustrârint ? Quid enimverò memorabo tot sacros antistites , Adalberonem Augustanum , Petrum Veronensem , Landoloum Tarviensem , Ratpoldum Trevirensensem , Egilolphum Lausanensem , Keonvvaldum Anglum , & Divorum fastis adscriptos Udalricum Augustanum , & Conradum Constantiensem ? Quid recensebo tot Apostolici culminis Legatos , Portias , Aquinos , Bickios , Passioneos , Durinos , Acciajuolos ? Quid præclarissimum illud Ordinis nostri decus venerabilem Bedam ? Qui eam , quæ de Visitatione Virginis inscribitur Homiliam , in Sancto GALLO composuisse legitur ? Quid ingens illud Romanæ Purpuræ ornamentum , validissimum avitæ fidei propugnaculum , malleum hæreticorum , Orthodoxæ præsertim Helvetiæ propè unicum Protectorem , ævique nostri Apostolum , Sanctum Carolum Borromæum ? Quid recensebo , coronata etiam orbis terrarum Capita altitudinem suam ad hanc usque Cellam GALLI parvulam demississe ?

Quid ? an non Anno 1356. Carolus IV. Romanorum Imperator , Sacrosanctas Reliquias venerandi causâ , Monasterium nostrum accessit ? Tunc piissimus Princeps de utroque sanctissimo Tutelari nostro GALLO , & OTHMARO sacras particulas, ceu pretiosissimum thesaurum , secum extulit in Bohemiam. An non Anno 969. ipso Ascensionis Domini pervigilio Otto Magnus Divum GALLUM intravit , hærente è latere fratre suo Sancto Brunone , Coloniensi Archiepiscopo , & genero suo Cunone Meraniæ Duce , Ottone verò filio matrem sanctam Adelhaidem deducente ? Postea Cœnobium , ob Hunnorum expilationem egestate pressum , ingemiscens idem Imperator , magnificum illud , & Magno Ottone dignum profudisse fertur oraculum : *Potius coronam comminuemus , quàm ut Divi Galli alumnos egestate laborare patiamur.* An non circa Annum 912. Conradus h. n. I. Romanorum Imperator , ipsis festis Natalitijs è Constantia ad Sanctum GALLUM solvit ? Nec dubitavit humilis Princeps festo Sanctorum Innocentium publicum refectorium ingredi , & regali posita Majestate , communi cum Fratribus prandio refici ? An non Carolus III. cognomento Crassus , circa Annum 885. jam alterâ vice ad hanc solitudinem advenit ? Ille , inquam , Carolus , quem Patres nostri ob præcipuam familiaritatem , continuâque regiæ munificentiae suæ monimenta non aliter vocitare solebant , nisi noster Carolus ? Superûm , hominûmque fidem ! ne vesci quidem cum fratribus sustinuit , sed exutus purpuram , linteoque præcinctus iisdem ad mensam ministravit , raro augustæ humilitatis exemplo. An non ipse Carolomannus circa Annum 747. excusso in fraternas manus Principatu , ad Divum OTHMARUM Abbatem nostrum convolvit , hîcque locorum epistolam ad fratrem scripsit , quâ ejusdem clementiæ , quantum maximè poterat , Monasterium commendavit ; quâsue postea literas idem Abbas sanctissimus Pipino exhibuit ? Undenam , obsecro , terræ huic desertæ , inviæ , ac sterili tam magnifica gloria ? Quid claustro cum splendidissimis palatijs Principum ? Quid humili cucullo cum purpura regum ? Quid incultæ solitudini cum floribus , & coronis ?

Attendite Aa ! aures arrigite , colligite animos , & non meum , sed sapientissimi juxta , ac pientissimi illius Principis , Carolomanni , inquam , responsum percipite . *Tenuis quidem , ait , hic locus est facultate , sed pro meritis Beati Galli celebri diffamatus rumore.* Non nostris , non nostris , inquam , sed Beati GALLI meritis dedit Dominus his coronis participes nos fieri. Ex hac fecundissima scaturigine , ex Beatissimi , inquam , Proto-Parentis nostri meritis , tot jam



jam labentibus seculis continuus omnium cœlestium Benedictionum, atque gratiarum cataclysmus nos inundavit. Vultisne scire Aa ! quænam sint hæc Beati GALLI nostri merita ? Sacrum Phonaſcum accinentem audite :

*Deferta in hortos floridos  
Cultore GALLO tranſeunt.*

O beata nobis , excelsæque apud Superos Divi GALLI merita ! O ter felicem eremum , tanto Cultore in hortos floridos tranſeuntem ! O tempe amœniſſima , non illa Semiramidis , ex aëre tantum ſuſpenſa ; ſed quæ idem ſacer Phonaſcus longè altiùs extollit , eadem piſſimâ , & à ſummâ Sede approbatâ ode concinens :

*Et cella GALLI parvula  
Vicina calo jungitur !*

O flores , non illos , quos fœda gentilium ſuperſtitio vertit in anemones , acanthos , narciſſos , hyacinthos ; ſed quos divina gratia produxit in æterna virtutum germina ! Cernite , ex ipſo ſuo ſpineti , divinis præordinationibus electo , exſurgere ſorum reginam roſam , in ſanctiſſimo Fundatore noſtro GALLO. Suſpicite , inter impuriſſimas calumnias intemeratæ virginitatis candicare lilium , in altero beatiſſimo Tutelari noſtro OTHMARO. Videte , proprii ſanguinis intinctum purpurâ immortalem amaranthum , in glorioſo Martyre noſtro Divo EUSEBIO. Carpire humirepam quidem , ſed admirabili odoris fragrantia effloſcentem violam , in humili Confefſore noſtro Sancto NOTKERO BALBULO. Et poſt hæc ingredimini ad tot cæteras virtutum areolas , quot viri & ſcientiâ , & pietate inſignes unquam hos GALLI hortos & coluère , & incoluère.

Sed quid antiqua memoro ? Etiam hodiè , hodiè inquam , ut quidem auribus meis ter amabile illud canticum canticorum inſonat , ipſe cœleſtis ſponſus ( a ) *Descendit in hortum ſuum ad areolam aromatum , ut paſcatur in hortis , & lilia colligat.* Undenam lilia colligat ? Quomodò paſcatur in hortis ? Mox tequitur : ( b ) *Ego dilecto meo , & dilectus meus mihi , qui paſcitur inter lilia.* Hic mihi Aa ! cœli aperiri videntur , ipſique cœlites lilia ſua depromere. Advolat iterum ANGELUS , virginẽumque ſuum proferit lilium , quo MARIÆ quondam oblato , fœcunda virginitas divinum peperit Salvatorem. Nihil hoc lilio fœcundius. COELESTINUS V. præceſſum virtutis ſuæ meritum ad ſummi Pontificatûs apicem evehit , idẽmque poſteâ ſummi honoris culmen

culmen Christianæ humilitati postposuit. Nihil hoc lilio excelsius. BERNARDUS aureo quodam eloquentiæ flumine, relictisque sacris suis lucubrationibus mellifluam suam omnium animis scientiam instillavit; nihil hoc lilio pretiosius. At quorsum ista? Videntur mihi hodiè hi tres Cœlites in unius ANGELI MARIÆ sinum lilia sua depluere. Cui enim potiore jure debentur lilia, nisi & ANGELO, & MARIÆ? sed enim liceat per Te. Eminent.<sup>me</sup> Præsul, Princeps Clementissime, per Te, inquam, liceat extra cortinam loqui.

**V**ideo in scuto tuo gentilitio efflorescere trigeminum Liliū. TRIGEMINUM LILIUM, Trigeminum orationis meæ argumentum est. Quia FOECUNDUM IN ARIDITATE: primum hoc Liliū est, illustrissimamque Prosapiam Tuam respicit, quæ in Te, quasi arido flore, innumero germine effloruit. Quia GRANDE PUSILLUM: alterum hoc Liliū est, Téque ipsum contemplatur, & grandem alijs, & Tibi pusillum. Quia AUREUM SINE PRETIO: Tertium hoc Liliū est, tuasq; scientias, operaq; planè aurea, gratis in hanc lucem data, admiratur. Ignosce verò Eminent.<sup>me</sup> Præsul, Princeps Clementissime, si pro tam sublimis dignitate argumenti minus dignè dixero. Veluti enim, quòd quidam odore Lilijs capitis aguntur vertigine, non innocentis floris, sed capitis vitium est; ita si humili oratione tantam altitudinem assequi nequeo, non Lilijs Tui, sed balbutientis oratoris vitium erit. Vos verò agite mecum Aa! operam vestram conferte, serenare vultus, laborem impendite, auxilia congerite, & ut cum Poëtarum principe vos cohorter:

(a) - - - *Manibus date Lilia plenis,  
Purpureos spargam flores.*

**I**N primis conqueror tecum natura, & vehementer expostulo: cur quæ nobis sunt tam chara, tam rara voluisti? Inter tam innumerabiles cœlorum faces, unicus est siderum Princeps, nec nisi certis horis frontem suam serenat. Iris, cum maximè oculos fascinat, paulatim emoritur. Néque anni tempora æquo semper passu decurrunt: unum est Ver, Autumnus unus, amœna temporis gaudia, sive calentiissimâ æstate, sive rigidissimâ Brunâ rumpente. Quid Alcyone formosius? ad solum æquoris litus nidificat

eat. Nihil suavius cantu philomelæ, aut superat, aut certè humanam artem exæquat; quindecim vernis diebus, noctibusque irremisso spiritu cantillat, & tacet. Phœnicem alit Arabia, & hunc unicum. Nunquam Delphinus, hominum delictum, ad litora nostra appellit. In Libano exsurgunt cedri, in spatiosis campis stat cinnamomum, purpurea in vallibus turgent fraga; ipsa Jonæ hederæ & unâ nocte effloruit, & alterâ nocte contabuit. Flores, qui rident hodiè, non rarò crastina pruina deflorat. Tantùmpe parca es natura, cùm gaudia nostra profundis?

Imò erravi! in uno Liliò abundantius veluti totam se natura exhaustit. Qui enim locus tam aridus, ubi Liliū non excrevit? Ne vepres horret, ut satellitio armatum in publicum prodeat. Quid verò eodem fecundius? Audite sagacissimum naturalium rerum lustratorem Plinium: (a) *Nihilque est fecundius*, de Liliò habet, *unâ radice quinquagenos sæpè emittente bulbos*. Candidissimum hoc Symbolum est familiæ QUIRINÆ, quæ si non eodem temporis intervallo quinquaginta, tot certè jam seculis protulit omnis ætatis, atque omnis memoriæ clarissimos viros, quinquaginta alijs heroibus pares.

Quos si vel supremis, ut ajunt, labijs delibare velim; est THADÆUS, quem Franciscus Barbarus, vir seculi sui eruditissimus, Eminent.<sup>mo</sup> Francisco Cardinali Veneto, & Vicecancellario, tum ob insignem ejusdem Parentis PETRI memoriam, tum ob egregia literarum studia, quibus supra ætatem profecisset, amplissimis verbis commendavit; cujus felici ingenio, eloquentiæque datum fuit, coram summa Sede publicam orationem dicere, ipso Pontifice maximo comprobante. Est LAURUS, uti eundem vocat idem Barbarus, *suavissimus*, Latinis æquè, ac græcis literis excultissimus, clarissimus orator, subtilis Philosophus, Theologus sublimis, celeberrimus Jurisconsultus. Est GUILIELMUS, quem de suis, majorumque meritis sæpè laudatus Barbarus extollit, eiq; aggratulatur, quòd in Senatum Venetum, hoc est, in gravissimum orbis terrarum consilium, conscriptus fuerit. Est VINCENTIUS, Eminent.<sup>mo</sup> Cardinali Bembo amicissimus, ad quem, lugubri datâ epistolâ, Patruj ejus ANTONIJ mortem deplorat, videlicet: (b) *Optimum civem, & magni, ac præstantis animi virum ereptum esse Reipublicæ*; omnemque ingenij vim exerit, ut alijs, aliisque rationibus de tanta viri jactura se consoletur. Est HIERONYMUS, qui

Romæ

(a) Plin, lib. 21, cap. 5.

(b) Bembo, epist. famil. lib. 3.

Romæ ultrâ quingentas mille Theses uno , eodémque die publicè defendendas suscepit , ac omnibus difficultatibus sibi in illis propositis egregiè , & mirificè satisfecit: eidem Bembo adeò in delicijs , ut hæredem eum secundo in loco ex asse nominaverit. Est alter HIERONYMUS , qui , cùm esset Princeps excelsi Venetorum Senatûs , Patavium missus , obortos ibidem tumultus , summâ dexteritate , prudentiâ , circumspèctione , ingenio , virtutèque composuit. Est OTTO , qui Alexio à Græcis strangulato , Marzuffo verò à Latinis repulso , & in fuga è saxo præcipitato , cùm decem electores ad eligendum novum orientis Imperatorem dati fuissent , inter quinos illos , quos Respublica Veneta denominavit , primus fuit , ubi communibus tandem calculis Baldovinus ex comite Flandriæ in imperiali folio fuit collocatus.

Quid illos referam fortissimos herôes , bellique peritissimos , quorum illustrissima nominis fama non terras modò , dissitasque regiones , sed vasta quoque maria , ipsùmque archipelagum pervasit ? Effuderant se longè , latèque in sinum Adriaticum prædones sævissimi , diripiebant naves , infestabant mercimonia , latrocinabantur impunè , maria clausa tenebant. QUIRINUS fuit , qui in Lyburniæ oris eodém aggressus , in suam protinùs redegit potestatem , prædonibusque ad unum cæsis , barbaris verò , solo obstrepente QUIRINO nomine , tremefactis , ferocissimis hisce monstris mare placavit. Eruperant è Vallona , munitissimo castello , Turcæ in naves Venetas , jamque hostili globo confractus malus , Laurentio Marcello brachium confregerat. (a) QUIRINUS fuit , qui inter igneos globorum imbres interritus , ad hostiles usque naves penetravit , quasque earum mox pessimè , & triumphanti similis tractavit , dum invalescente magis , magisque virtute Venetâ , barbari ad propugnaculum fugere coacti fuerunt. Incaluit aliquot post annos iterum , iterumque navale prælium Venetos inter , & Turcas , Republicâ bis de Christiani nominis hoste triumphante. Idem iterum ( b ) QUIRINUS fuit , qui maximam turcarum navim , *Sultanam* dictam , adortus , occupato mox ponte , tantâ cæde in hostes inventus est , ut illi desperatâ salute , jacto in pyrium pulverem igne , cum sui internecione victorem in suo triumpho sepelierint. Exposuerant militem suum Veneti in insula Scio , è Turcica servitute Christianos liberaturi ; jamque amplissimum suburbium cæperant , illustrissimis quibûsque ex insula matronis odoriferos flores , germinaque in victores spargentibus. Dum verò iidem victores quoddam è dex-

(a) Anno 1637.

(b) Anno 1651.

è dextro latere castellum, sinúmque maris occupant: ( *a* ) QUIRINUS fuit, qui duas interim onerarias, à Constantinopoli Alexandriam versùs contententes, interceptit; captivásque ad insulam advexit.

Sed minora hæc sunt, aliis provehirur, & ad Famagustam proficiscitur oratio mea: ad Famagustam stat gloria QUIRINA. Erravi nomine, per syncopen Famagusta dicitur, proprium loci nomen Fama augusta est, ad Famam augustam, Famam, inquam, augustam subsistit Veneta QUIRINORUM gloria. Hic triumphanti similis, ingredior orationem meam. Jam Mustapha Bassa vi captam Nicosiam, & barbarâ crudelitate, & crudeli barbarie expilaverat; jam innumerabilem penè exercitum, victoremque militem ad Famagustam deportaverat; jam spirans minarum, atque cædium, cæsum Christianorum capita, præfixa hastis, ante mœnia ostentaverat; jam ipsius etiam Dandoli, invictissimi Ducis, & fortitudini suæ immortui caput Bragadino, cujus fidei à Republica Famagusta tradita erat, insultans transmiserat; jam indies graviori obsidione obsessos arctaverat, & ad extrema quæque consilia redegerat; cum ecce! MARCUS ANTONIUS QUIRINUS, omnis memoriæ clarissimus Bellidux, bis mille quadringentos milites navibus imponere, afflictæque Famagustæ ad certissimum præsidium convolare. Non est satis. Nihil ab hostibus omissum est, quò invictissimo viro transitus negaretur. Atqui ad ipsum Constantiæ portum quinque triremes Turcicas, duásque mahonas cepit, trecentis Janizaris aut cæsis, aut captis, cum ingenti præda, amplissimisque fortunis. Ne hoc quidè sufficit. Ipsum denique fortissimum militem suum, instructissimas naves, amplissimam annonam, innumeraque belli subsidia ad extremas angustias redactæ Famagustæ intulit.

Tunc easecuta sunt, quæ omnium historicorum ore decantantur. Tunc Bragadinus non jam ad invictissimam pugnam Christianos milites animare, sed ad gloriosam Martyrij palmam vaticino quodam spiritu inflammare. Infinitus sim, si omnia recensere velim. Quoties obsessi condensato cuneo erumpere, tantamque hostium stragem edere, ut, antequam ullum munimentum occupassent, jam ultra viginti Turcerum millia in sanguine suo contabuerint, coactique fuerint, duorum dierum armistitium ab obsessis petere, quò mortuos suos tumularent? Quoties è mœnibus Turcas repellere, atque è suis munitionibus exturbare? Quoties cuniculos contrarios agere, ipsque succensis in-

B

felicif-

felicissimos homines in aëra jactare ? Quoties ipsæ scēminæ Amazonom instar lapidibus , ferventi aqnâ , etiam armis pugnare , unâque ex ijs , arrepto gladio , alios occidere , alios convulnerare , donec & ipsa in medio hostium cuneo , multis confossa vulncribus , virilem animam effudit . Quoties alter alterum ad constantiam , & fortitudinē incitare , atque ne effusis quidem , & intra breve temporis interval- lum , & diu , noctûque , & sine ulla respiratione centum quinquaginta millibus grandioribus pilis , neque publicâ iterum annonâ , cæterô- que belli apparatu deficiente , aliter quàm de vita potius , quàm ur- be dedenda cogitare , ut adeò historiographus scribere non dubitâ- rit , lassis , extenuatîsque corporibus , nihil amplius in obsessis præ- ter pectus vixisse . Necesse tamen fuit ( Heu ! duram necessitatem ) urbem denique pactionibus tradere , ipsorum hostium confessione ultra sexaginta millibus suorum ante mœnia desideratis . Hic jam incipit Tragedia .

Mustapha petere , Bragadinus se præsentem fisteret , percu- pere se tanti nominis virum ipsis oculis intueri . Adest ille , assump- ptisque secum Balleono , Martinengo , ipsôque QUIRINO victo- ris tentorium intrat . In neminem ita barbarus , atque in QUIRI- NUM oculos convertit . Erat florentis ætatis , proceræ staturæ , virilis animi , ipsôque vultu non jam heroem , sed martyrem præ- ferebat . Eundem obsidem Mustapha postulat , negat Bragadinus . Nec mora , barbarus in furias actus , singulis prius vincula iniecit , tum in oculis Bragadini QUIRINUM , sociosque in frustra concidi imperavit . O VENETIÆ ! Palæstra virorum fortium , propugna- culum avitæ religionis , ornamentum Romanæ Ecclesiæ , Ottoman- norum terror , pulcherrimûmque Christianæ gloriæ domicilium ! O , inquam , VENETIÆ ! Vos enim alloquor . Tantâmnè Adriatici maris sinus evolvit aquarum molem , quantum sanguinis pro Christiani Nominis gloria effudistis ? ubi Cyprus ? ubi Nicosia ? ubi Fama- gusta ? ubi tot loca , castella , urbes , munimenta à Turcis vobis erepta ? An non prius in horum expugnatione vobis in venis sanguis , quàm vigor in pectore defecit ? At quonam impetu abripitur oratio mea ?

Ad QUIRINUM sanguinem , gloriososque Manes subsisto . Te postremis verbis alloquor QUIRINÈ . Cur sanguinea illa stupet ocu- lorum acies ? cur hæc pallefcunt ora ? cur dextera illa , tot illustra- ta trophæis , obrigescit ? cur crudelis toto corpore plaga diffundi- tur ? cur membra à membris dissecta jacent ? Et ecce videtur mi- hi etiamnum nobilis anima , mens generosa , ingens spiritus cor- pus suum circumvolitare , & per singula vulnera illud Epaminondæ fractâ

fractâ, emortuâque voce sciscitari: *Salvûsne est clypeus?* Quæ insolita hæc vox? quæ nova, & inexpectata interrogatio? *Salvûsne est clypeus?* An verò, miles Christi invictissime, ignoras te in frustra concisum? Et quem post vulnera quæris clypeum? (a) *Scutum fidei.* Salvum est, priusque Bragadinus pellem suam, quàm hoc scutum abijciet: Ita factum est, pauloque post nunquam satis laudandus Bragadinus, præcis prius naribus, ac auribus, aliâsque acerbissimas contumelias perpeffus, vivus excoriatus est, (b) *ed frontis, orisque bilaritate*, verba historiographi refero, *ut lætari quodammodo videretur, quod ex hac mortalium turba, & colluvione discedens, ad æternam gloriam per martyrij palmam citò evoluturus esset.* Itaque QUIRINUM, Balconum, Martinengum, cæterâsque illustres animas, omnes martyrum palmis dotatas, secum ad sidera transvexit.

Ecce Lilium sæcundum, *unâ radice quinquagenos sæpè emittente bulbos*, tot invictissimos, inquam, è familia QUIRINA heroës, quinquaginta alijs veteribus heroibus, ne dicam pares, sed superiores. At quousque his immoror? Cur QUIRINO nostro ab avito Majorum sanguine gloriam expeto? Liceat mihi, & cum benigna venia liceat, quod novissimè à magno quondam Corcyræ Archiepiscopo minimus discipulus didici, *Græcos Patres in ipso fonte consulere, ac Græcos textus Græco ipso idiomate pronuntiare.* Audite sapientissimum Magni Basilij oraculum:

Οὐκ ἔχομεν λέγειν πατέρας, καὶ προγόνους περιφανείς. Αἰσχρὸν γὰρ ἀλλοτρίοις κόσμοις κοσμιῶσθαι τὸν τῇ οἰκίᾳ ἀρετῇ διαφανή. Seu ut Latina versio habet: (b) *Non est, cur Patres, ac progenitores illustres proferamus. Nam turpe est, aliunde ornare eum, qui propriâ ipse virtute illustris est.* Et paulò post idem sanctus Doctor: *Ἀνδρὸς ἰδίου ἔπαινος, ὃ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ κατ' ὁρθωμάτων μαρτυρούμενος.* Seu juxta Latinam versionem: *Propria viri laus est, cujus ex rebus ab ipso benè gestis testimonium habet.*

Ad Te igitur, ad Te Eminent.<sup>me</sup> Domine, Princeps clementissime, se convertit oratio mea, missisq; Majorum tuorum laudibus, in tuo sanguine, vultuque, in tua virtute, meritisque acquiescit. Quid verò est hoc? quodnam se novum oculis meis offert spectaculum? Quid, inquam, est hoc? ANGELUSNE MARIA illustres natales, fecundæ spem posteritatis, inclytæ Reipublicæ honores, pretiosas divitiarum illecebras, montesque aureos, cæterûmque

B 2

splen-

(a) Ephes. 6, v. 16.

(b) Petr. Justin. Hist. Venet. lib. 16.

Βασίλ. ἐς τὸν ἀγ. μάρτ. Μάμαντ.

(c) S. Basil. Homil. de Mart. Mamant.

splendidæ vanitatis choragium contemnere? ANGELUSNE MARIA *relictâ domo, rebûsque Patris soli DEO placere desiderans*, Florentiam profugere, & *sanctæ conversationis habitum* quærere, efflagitare, suscipere, atque ex nobilissimo Patricio Veneto in monachum attondi? ANGELUSNE MARIA monasticen professus, neglectâ aviti sanguinis curâ, aut illustribus virtutum exercitijs, aut indefessis literarum studijs, solam, unicâmq; operam impendere? Hæccine est promissa illa Lilij fœcunditas? Quis non videt, in hac radice tandem exaruisse? Imò ô ter felix sanctissimi Legislatoris nostri pervigilium, quo ANGELUS noster primam hanc lucis usuram aspexit! Jam tum videtur mihi futuræ ætati suæ prælusisse, ut natus in profesto gloriosi Patriarchæ nostri BENEDICTI ANGELUS, Ejusdem aliquando exemplo jam *quasi aridum mundum cum flore* despiceret, novôque mundi ludibrio non esset aliud Lili-um, nisi FOECUNDUM IN ARIDITATE. Aridum vidistis, Aa! fœcunditatem attendite.

Tanta fuit in ANGELO nostro, morum integritas, tantum literarum studium, tanta sapientiæ doctrina, tantûsque monasticæ disciplinæ fartam tectam conservandæ vigor, ut florentissimâ adhuc ætate veteranis Christiænæ militiæ athleticis præficeretur, hoc est, amantissimus tot monachorum, totiûsque monasterij Pater sufficeretur. An nondum videtur vobis hæc radix quinquaginta bulbos emittere? an non advertitis fœcunditatem hujus Lilij, tot filijs autum subito parentem? Ut, quod de Essenis Plinius, de sacra Sanctissimi Patriarchæ nostri familia jure dixerim: (a) *Gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* At teste Philosopho, tanta est Lilij fœcunditas, ut, si floris etiam hasta terræ infigatur, ex omni parte erumpant germina, bulbique. Eodem modo necesse fuit, non in hortis tantum Florentinis hoc Lili-um efflorescere, sed in dissitis quoque terris novis germinibus fœcundari. Ab INNCENTIO XIII. Tum ob illustre virtutis meritum, tum ob singularem Græcæ linguæ peritiam idem ANGELUS noster Archiepiscopus Corcyræ creatus est, hoc est, non gregis tantum, sed Episcoporum quoque Præsul, sive Pater Patrum renuntiatus fuit. Hic jam plura non dicam; fuit enim illud, ut novus Archipræsul singulari mansuetudine, vigilantia, patientia, charitate gregi suo præ-esseret. Quot labores impendere? quot precibus Superos fatigare? quot lacrymas profundere? Apage jam mirabile illud Plinij arc-  
anum, Lili-um etiam (b) *lacrymâ suâ* fœcundum esse; fœcundiores  
certè

(a) Plin. lib. 5. cap. 17

(b) Plin. lib. 21. cap. 5.

certè QUIRINI lacrymæ fuère, quibus affistrice divinâ gratiâ, Corcyrenses Græcos, *perinde ac si ingenium aliud induerint*, totos sibi devinxit, novósque filiolos iterum in Domino parturivit. Quid ulterius de translatione in Brixiensem Episcopatum, quid de Protectoris Casinensium munere dicam? Videte, quæso, Aa! tantam Lilij nostri fecunditatem, hoc est, ANGELUM MARIAM QUIRINUM tam innumerabilium filiorum parentem. Utque nihil fecunditatis deesset, à sanctissimæ memoriæ BENEDICTO XIII. in sacrum Purpuratorum Collegium ( qui Patres Ecclesiæ sunt, jurèque optimo appellantur. ) assumptus fuit. Quódque ad perennem illustrium natalium splendorem pertinet; primus ex QUIRINA familia Romanâ Purpurâ refulsit. Hic scitum illud Tullij mentem refricat, cujus gloriæ, cum non nemo invideret, quód primus è familia sua summum Magistratum adeptus esset, adeoque eum veluti per contemptum *novum Arpinatem* vocaret, acuto mox responso fastum hominis repressit. Ego, inquit, *meis Majoribus virtute meâ præluxi*. Adeò cum exaruisse visus est, fecundior fuit QUIRINUS noster, tantumque abest, monasticam Professionem illustribus natalibus quippiam detraxisse, ut etiam eorum splendorem, nominisque famam immensum adauxerit. Et hoc est primum illud, quod in illustri tua prospici suspicio Lilium. FOECUNDUM IN ARIDITATE. Liceat ex Poetarum Principe Lemma addere:

— *Genus immortale manet.*

**A**B alto lapsus est, neque qui valles obambulat, vertigine præceps agitur. Quis nescit falcones è sublimi aëre ardeas configere? jucundum viris Principibus spectaculum; interim formicâ in suo pulvisculo liberè exultante. Excelsas cedros everunt fulmina, humilis laurus intacta stat. Quid Icaros, Phaëtones, Solmoneos memorem, occulta fictæ veritatis argumenta? Ad devicti Pompeij statuam victor Cæsar occubuit. Nihil sublimius Sejano, nisi quód ad schalas Gemonias vestigium fefellit. De Rufino poëta canit:

— — — *tolluntur in altum,*

*Ut lapsu graviore ruant.*

Necquicquam Stiliconi profuit, Imperatoris fuisse socerum, quin à sacro asylo abstractus, capite plecteretur, evertis omnibus honorum monumentis. Ne sacræ quidem paginæ parcunt. Eâdem

B 3

horâ

(a) Virg. Georg. 4.

(b) Claud. lib. 1. in Ruf.

horâ Nabuchodonosor & Rex, & bestia fuit. Fumus quò altior, èd obscurior est: ipsos vapores, quos terræ meatus extollunt, cælum cum grandine repellit. Soli Lilio artifex natura providit. Percipite eruditissimi Plinij effatum: (a) *Nec ulli florum excelsitas major, interdum cubitorum trium, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri.* Adèd Liliū & excelsū præ omnibus floribus eminet, & *languido semper collo* submissū est. Alterum hoc Liliū est, quòd hodiè demiror, altissimū & Eminentiae, & demissionis Tuæ symbolum, sive ut gemino verbo complectar omnia: GRANDE PUSILLUM. Advertite, amabò, mecum Aa! & tot illustria, grandiaque ANGELI nostri opera contemplantini. Undenam verò potissimū, aut quâ parte exordiar? an clarissimam profapiam, Græcæ linguæ peritiā, morūque suavitatem deprædicabo? At jam abundantius id præstitit Eminent.<sup>mus</sup> Origus sacrae Congregationis Concilij Tridentini interpres, & vindex, Tèque tunc Corcyrae Archiepiscopum illustri hoc præconio exornavit., Splendes Ipse Familiæ decore, unde à Magistratibus, militi., æque Ducibus existimatio, à Civibus reverentia conciliatur; Græcæ., linguæ peritiā, quæ plurimū confert ad alliciendam gentis bene., volentiam; morum suavitate, quā plerūque flectuntur ani., mi, legūque severitas, ne molestiam exhibeant, emollitur. Hæc., felicissimo nexu in Te conjuncta non otio languescere, sed in tui gre., gis emolumentum sedulo studio vertere voluisti., An pastorales Tuas virtutes, ardentissimūque zelum animarum extollam? At habemus præ manibus tantæ laudis gravissimū ipsius CLEMEN-  
TIS PAPÆ XII. testimonium: „ Nos certè, qui pastorales virtu., tes tuas, quas ad salutem animarum, vigilantia tuæ creditarum,., eximijs zeli, & charitatis exemplis adhibes, insigni paternæ be., nignitatis studio prosequimur, ut uberiori illas cœlestium cha., rismatum copiā remuneret, assiduè cœlorum Regem precibus ob-  
testamur. „ An cathedralem Brixiaē Basilicam, hortante ipso eodem CLEMENTE Pontifice, & è fundamentis excitatam, & ad fastigium usque perductam, & incredibili magnificentia adornatam concelebrabo? At brevi laudum compendio, & Tuomet ore dixisse sufficiat, hanc esse *perenne Brixiana pietatis monumentum.* An idem nobiscum sanctissimū gloriosi Patriarchæ nostri BENEDICTI institutum amplexum esse gloriabor? At jam pridem hæc Mont-  
faconij clarissimi viri, & monachi San - Germanensis vera vox fuit, qui Te non aliter nisi „ ut præstantissimū Benedictini ordi-  
nis

(a) Plin. lib. 21. cap. 5.

(b) 1735. 15. Januar.

„nis alumnus, encomiasten, & propugnatorem; ut virum in omni  
„disciplinarum, & scientiarum genere versatissimum; ut scripto  
„rem subilem, elegantem, & indefessum; ut amicum officiosissimum  
„prædicabat. „.

Quid verò Aa! si pauperum quoque catervam adducerem, qui  
hunc ANGELUM nostrum alterum Parentem suum vocant, quo-  
rúmve publicum Brixiae ærarium certis proventibus locupletavit?  
Quid si Salesianum amplæ vallis-Cumanicæ Monasterium digito mon-  
strarem, cui fundando animum appulit, ac episcopatum cepit, ei-  
que magis, magisque stabiliendo omnes annonas, quas ex illa re-  
gione habet, unde Ducis titulo inscribitur, munificentissimè as-  
signavit? Quid si sacras visitationes lustrarem, quas etiam per aspe-  
riores, montanasque Diœcesis suæ partes arduo labore, sudorèque  
obiit, etiam usque ad loca Prædecessoribus suis omninò inaccessa?  
Quid si tot literas pastorales recitarem, curámque vigilantissimam  
pro sacro jejuniis, juxta novissima Ss. Domini nostri BENEDICTI  
PAPÆ XIV. statuta incorruptè servando, producerem? Quid si his-  
ce adderem indefessum illud studium, ardentissimúmque illum Zelum  
pro Bulla *Unigenitus*, aliisque Pontificiis decretis San- Maurino-  
rum animis altius infingendis, quibus tantum effectum est, ut &  
aperto, solemníque testimonio pro summa Sede se declarârint, &  
miracula contra Bullam *Unigenitus* falsò à Jansenistis allata, omnium  
cachinnis exhiberent, Catholicâ Veritate pulcherrimè triumphante.  
At ipsiusmet sensa percipite, quo animo, quámque grandi virtute  
eadem gesserit. Ita enim ad BENEDICTUM XIV. Sanctissimum  
Christi in terris Vicarium, hodièque felicissimè regnantem Pontifi-  
cem de laboribus pro Bulla *Unigenitus* susceptis rescripsit: (a) *Ut*  
*Catholicæ Veritatis triumphus Christi fidelibus innotescat, & eorum*  
*plausu excipiantur.* Hæc mens QUIRINI est, grandem pro Eccle-  
sia pugnam militis instar fortissimi suscipere; at verò triumphum  
non sibi, sed Duci Catholicæ Veritati adscribere, grandem labori-  
bus esse, honoribus pusillum.

Devenio ad dignitates Ecclesiasticas. Patere jam Em.<sup>me</sup> Præ-  
sul, Princeps clementissime (quæ notissima Tua etiam in minimis  
affabilitas, & suavitas est) patere, inquam, pusillum oratorem vel pu-  
sillum Tecum loqui. A Sanct.<sup>mo</sup> Domino nostro, gloriosæ recordatio-  
nis INNOCENTIO PAPA XIII. Archiepiscopus Corcyrensis suffe-  
ctus es. Te interrogo, quem Teipsum fecisti? quo animo amplissi-  
mam dignitatem excepisti? Ita ad Clerum, populúmque scripsisti:

(a) Divi-

(a) „Divinorum consiliorum altitudo vel in minimis maximè admiranda ad episcopalem curam nos evocans,,. Et paucis interjectis: „Quæ res animos nostros statim, ac ejusmodi electionis decretum innotuit, magnopere parculit: parumque absuit, quin amaras illas querimonias usurparemus, quibus Gregorium Nazianzenum traditum sibi à Basilio magno Salmorum episcopatum amoliri stuiduisse, memoriâ retinebamus,,. Post hæc à Sanct.<sup>ma</sup> memoriæ BENEDICTO PAPA XIII. ad Brixiensem Sedem, omnium Italicarum, præter Mediolanensem, amplissimam translatus es. Te iterum interpello, quam magnifico applausu, elatîsque oculis in Tua Te altitudine circumspexisti? Hoc ad Brixienfes tuos responsum fers: „Absit verò mihi in ea amplitudine gloriari, absit ex multiplicata gente magnificatam etiam lætitiâ fateri: quum econtra vehementer mihi formidandum videam, ne, qui in altitudinem maris veni, & tempestas non demersit me, aquis illis multis, quibus populi multi designantur, obruar, atque demergar,,. Eodem anno, cum jam prius in consistorio secreto designatus esses, ab eodem BENEDICTO XIII. S. R. E. Presbyter Cardinalis, inde à felicissimæ memoriæ CLEMENTE PAPA XII. S. R. E. Bibliothecarius præfectus es. Cujus Successor Sanct.<sup>mus</sup> Dominus noster BENEDICTUS PAPA XIV. quotidianum servitium tuum, calamique tui ministerium appetere sese palam profitebatur. Te rursus consulo, quid in tot, tantisque honorum ornamentis cogitasti? Cogitasti, inquam, Brixianas insulas deponere, atque in curia deinceps Romana, quantum liceret, delirescere, id quod (b) 14. Januarii propè perfectum erat, nisi Brixianæ lacrymæ à Superis amantissimum Pastorem suum exorâssent. Postremò Protectoris (c) Casinensium munus impetrâsti: Te denuò perquiro, quandonam Reipublicæ Casinensis commodis servire ambijisti? Quo ipso tempore, ais, *splendorem, & opulentiam Patavini Episcopatus recusaveram.* Ecquâ mente novum honorem exceperisti? „Non aliâ profectò de causa,, attestaris,, quàm ut latior inde mihi campus aperiretur de ordine ipso benè merendi ijs officiis, quæ mater à filio, quæ sodales à sodali, quæ monasticæ disciplinæ amatores ab homine ejusdem non imperito jure præstolentur,,. Siccine ad sublimes Ecclesiasticarum dignitatum apices non aliter surgis, nisi Lilij instar, *languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri?* Hoc nimirum illud est mellisfluum divi Bernardi oraculum: (d) *Magna prorsus, & rara virtus humilitas bonorata.* Imò rarum nec nisi in areolis

QUI-

(a) 1723. 30. Novem. (b) 1742. (c) 1743. 24. Maij. (d) S. Bern. Homil. 4. sup. miss.

QUIRINI Liliū GRANDE PUSILLUM. At satis jam Aa! pusillum sibi QUIRINUM vidistis, ex aliorum testimonijs jam grandem cognoscite.

Vos appello Corcyrenses Græci; quid est, quodd Archiepiscopum vestrum ad primarium sancti Spiridionis templum publicâ, solemnique pompâ, quasi in cathedralem suam Ecclesiam, deduxistis, & quod nemini Prædecessori ante illum concessum fuit, in sublimiori throno collocastis, Græco Antistite exigua in sede confidente? Ubi idem Archipræsul, & Græcus orator Græcam orationem panegyricam cum summa omnium voluptate, & admiratione ad vos habuit. Vos dicite, Illustrissimi Brixiae Septem-viri, ædium sacrarum curatores, quo consilio QUIRINO nostro in ipsâ facie cathedralis Ecclesiæ, solemnem, honorificumque laudis titulum, (a) *novum grati animi monumentum* decrevistis? Vos loquimini cum Abbate vestro Joanne Carolo Galimberto monachi Hieronymiani, quo pacto eidem *Protectori, Patrono, Conservatori beneficentissimo*, Romæ in sacra æde divi Alexij magnificam Inscriptionem, marmori incisam, *æterni obsequij monumentum*, adhuc viventi posuistis? Te denique obtestor quondam felicissimè in terris, nunc gloriôsè in cælis regnans CLEMENS PAPA XII. quorsum tot honores, virtutisque præconia in unum QUIRINUM congestisti? (b) „Cum præsertim,“ inquis. „Nobis persuasum sit, „felicitatem tuam ad incrementum Divinæ gloriæ, ad nostræ sollicitudinis subsidium, & Apostolicæ Sedis ornamentum esse obven-  
turam,“ Ecce grandem QUIRINUM nostrum alijs, sibi semper pusillum. Et veluti Liliū, cum se explicat, cælum versùs os aperit, ipsa folia ex omni parte paulatim inclinat: ita hic ANGELUS profundâ animi demissione proprii honoris folia demittit, ipsum florem, opera sua, virtutisque ad solius incrementum Divinæ gloriæ dirigit, ad Pontificiæ sollicitudinis subsidium, ad Apostolicæ Sedis ornamentum. Næ hoc est Liliū GRANDE PUSILLUM. Ut adeò, quod de perfecto religioso magnus ille Seraphici ordinis Patriarcha Franciscus expetit, de QUIRINO nostro asseverare ausim.  
*In Cathedra non extollitur, in Purpura pallefcit.*

Sed me repentè Aa! de QUIRINA gloria hæc dicentem, & plura etiam dicere parantem, Romana calamitas repressit. Versatur mihi ob oculos tristissima illa ante decennium rerum facies. Video ANGELUM MARIAM QUIRINUM lethali lectulo decumbere, & jamjam extrema opperiri. Vultus expalescere, exsanguis livere

C

genæ

(a) 1744. 26. Dec.

(b) 1735. 15. Januar.

genæ, labia cinere aspergi, anhelitus ingravescere, passimque vires elanguescere, solus animus tantò fortius vigere. Omnes, obnubilatis frontibus, ingemiscere, Ille hilari vultu renidere. Expavescere medici vim morbi, Ille æquanimâ fortitudine tolerare. Afflicti Christi pauperes Patrem, iterumque Patrem, & sæpius Parentem optimum inclamitare, Ille, ut semper largus, & misericors, tum majorem eleemosynarum vim in eorum sinum effundere. Ipsæ sacræ aræ, templorumque parietes luctum induere, Ille ad solas pias causas testamentum condere. Jamque etiam expiatâ conscientia, sacro epulo accumbere, Christianoque ritu ad extremam luctam inungi, tum libero animo, hilarisque vultu expectare mortis arbitrium. Undenam tam grandis animus? Nihilne metuit QUIRINUS moriturus? Imò quod adhuc subitici, circumstantes gemere prohibuit, jussitque potius ad perennem, cœlestemque vitam approperanti, & propediem consecuturo unâ voce congratulari. Quenam hæc est tanta hominis moriturientis fiducia? quæ tam festiva in tam funesta rerum vicissitudine lætitia? undenam tam insolitum, securumque æternæ vitæ præsagium? Audite arcanas ANGELI nostri cogitationes. Æternæ Veritatis oraculum est: (a) *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum DEI.* Pusillum se æstimabat, inde mortis contemptus, spes futuræ vitæ, mentis serenitas, conscientia tranquillitas. Quid tam grande, quàm immoto vultu mortem excipere? quid tam pusillum, quàm non Stoico fastu, sed humilibus Christianæ pietatis exercitijs ad ultimam se horam quamprimum comparare. Aded quâcunque parte rem intueor, semper QUIRINUM nostrum, & grandem, & pusillum reperio.

Ubi nepotum, consanguineorumque caterva, latus ambientium, bonaque Ecclesiastica ad luxum privatum diripientium? ubi dapes Attalicæ, culina Apicii, cellarium Philoxeni, horti Alcinoi, & complura alia prodigæ vanitatis impendia? ubi exquisitissimus longo ordine famulantium apparatus, innumera, pretiosissimaque suppellex, par magnis seculi hujus Principibus pompa? Alia nimirum mens jam pridem QUIRINO nostro insedit. soli DEO opes, labores, ipsamque vitam profundere; cæterum sibi ipsi, privatoque splendori nusquam consulere. Hoc videlicet Tuum est Eminent.<sup>me</sup> Præsul, Princeps clement.<sup>ne</sup>, hoc Tuum est, & ad Divinæ gloriæ incrementum, Apostolicæ Sedis ornamentum, Ecclesiarum splendorem, salutem animarum, pauperum auxilium, relique literariæ augmentum grandem te ostentas, & in illustribus natali-

natalibus, proprijs commodis, privatis delicijs, inani pompâ, veluti pusillus delitescis. Et hoc est alterum, quod in Teipso contempler Liliū: GRANDE PUSILLUM. Liber cum Peligno vate epigraphen subijcere:

(a) — — *Benè qui latuit, benè vixit.*

**S**unt item, qui scire (b) volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Mellifui Doctoris fert sententia. O vile ingenium, quod nummis aestimatur! miseram scientiam, quæ tanti valet! Isocrates mille drachmis docebat. Juvenem Demosthenem ducentas pro quinta parte artis oratoriæ offerentem, rejecit cum falso dicto: *nos bonos pisces integros vendimus*. Hic licuit oratorem emere. Ipsi postmodum Demostheni non angina, sed argentangina os clausit. Tunc Cicero ad Atticum scribere non dubitavit: (c) *Si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquam aliâs, tum profecto*, cum videlicet pro domo sua dixit, ingentemque pecuniarum vim ex ærario publico evicit. Jamque illud Martialis in proverbium transijt:

(d) *Sint Mecænates, non deêrunt Flacce Marones.*

Adeò etiam sapientium oculos aurum excæcat. At quò verba inania? Quid hæc ad Liliū? De eodem ita Plinius prosequitur: (e) *Tenuique filo, & semine stantibus in medio crocis*. Certè Liliū candoris sui tenacissimum est; at si crocum attingas, mox digitos inaurat: tam auri sui profusum est. Quodnam hoc aurum, nisi Sapientia? audite vocem Sapientis: (f) *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua*. Quo igitur pretio Sapientiam comparare licet? Mox addit: *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico*. Ergo tertium hoc Liliū est, AUREUM SINE PRETIO, Sapientiæ Tuæ Symbolum, quam & in tot aureis operibus in lucem editis, etiam auro pretiosiores demonstras, & sine pretio, hoc est, sine quæstu aut honorum, aut pecuniarum orbi terrarum communicas.

Quid autem à primævo ætatis flore ita dilexisti, quàm sacrarum literarum studia? Quò frequentius Romæ, adhuc florenti ætate, quàm ad celeberrimam Collegij Romani Bibliothecam accessisti? Quæ Tua illa fuit Parisijs in San-Germanensi Monasterio conversatio?

(a) Ovid. trist. lib. 3. El. 4. (b) S. Bern. in Cant. Serm. 36. (c) Cic. lib. 4. ad Att. Ep. 2. (d) Martial. l. 8. Epig. 56. (e) Plin. lib. 21. cap. 5. (f) Sap. 7. v. 9.

versatio? Cùm Eusebius Renodotius singulis sabbatis, aut majorum festiviratum pervigilijs, de orientali, & Apostolica præsertim literatura discurrerebat; quid in densa doctissimorum auditorum corona agebas? cujus vultum, oraque spectabas? quæ Tuæ mentis attentio? quis ardor animi? quod discendi desiderium? quid optabas? quid exspectabas? quænam porrò tuere doctissimæ illæ, & luce meridianâ clariores vigiliæ cum Jacobo Turellio? Quænam circa Græcarum literarum peritiam frequens collatio cum Andrea Dacerio? Quænam singulis hebdomadibus per plures etiam horas eruditissima producta colloquia cum Joanne Boivinio, regio Bibliothecario?

Hic planè illius memini, quod tum de seipso S. Gregorius Nazianzenus, tum de inviduo suo comite S. Basilio magno nobis restatum reliquit. Libet iterum ex ipso fonte bibere: (a) Δύο μὲν ἠγνωρίζοντο ἡμῖν ὁδοί· ἡ μὲν πρώτη, καὶ τιμιωτέρα· ἡ δὲ δευτέρα, καὶ ἔτι ἴσον λόγον. ἥτε πρὸς τὰς ἱερὰς ἡμῶν οἰκας, καὶ τὰς ἐκείσε διδασκαλίας φέροντα, καὶ ἡ πρὸς τὰς ἑξωθεν παιδευτάς. Τὰς ἀλλὰς δὲ τοῖς βεβλομένοις περιήκαμεν, ἑορτάς, θιάτρα, πανηγύρεις, συμπόσια. Latina versio habet: (b) „Duæ nobis viæ notæ erant, altera primaria, & præstantior, quæ videlicet ad sacras domus nostras, sacræque Doctorum ferebat: Altera secundaria, nec ejusdem honoris, nimirum, quæ ad externæ doctrinæ Professores ducebat. Reliquas omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas ferebant, volentibus reliqueramus. Ergo in hac regia, amplissimæque Lutetiarum urbe, inter tot magnifica theatrorum spectacula, inter tot exquisitissimos conviviorum apparatus, inter tot splendidissimas deliciarum illecebras, duas tantum Tibi vias notas habuisse videris, & illam ad sacras ædes, sacratiorisque Doctrinæ oratores, & illam ad scientiarum exercitia, clarissimisque veteris eruditionis magistros. Quid? ad Abbatialem ferulam, ad Episcopatus infulas, ad Romanam Purpuram promotus, num literarum studijs valedixisti? Id ex Te audire libet. Ita ad CLEMENTEM XII. profiteris: *Sacrarum literarum amor, qui summo Dei immortalis beneficio à teneris mihi inditus annis, mecum postea adolevit, mihi que per omnem ætatem ubique locorum ita fidus comes adhæsit, ut non tantum peregrinari, pernoctare, & rusticari, quæ omnia nobiscum facere ex Tulliano dicto literæ assolent, sed & mecum, si ita fari liceat, Episcopari comperiatur.*

Atque

(a) Τῶν. τὴ Ναζ. ἐς Βασίλ. ἐπίσκ. Κασαρ. Καπ. ἐπί. ἀφ.

(b) S. Greg. Naz. fun. Orat. in Laud. Basil. M.

Atque ex hoc fonte tot illa aureo quodam summæ eruditionis, scientiæ, eloquentiæque flumine profluxêre volumina, quæ cum magnifica Nominis Tui fama in orbem terrarum effudisti. Ea sunt: „Veterum Brixiae Episcoporum opera. Editio operum S. Eph-  
ræm Syri. Pauli II. gesta vindicata, & illustrata. Imago optimi,  
sapiientissimique Principis expressa in gestis Pauli III. Officia Eccle-  
siæ Græcæ. Enchiridion Græcorum. De primordijs Corcyræ. Ani-  
madversiones in Euclidem. De Brixiana literatura. Oratio de Mo-  
saicæ historiæ præstantia. Gesta, & epistolæ Cardinalis Poli, Fran-  
cisci Barbari „ plurisque propriæ, & alienæ epistolæ, aliæque scri-  
pta, omnia opera planè aurea, quibus nomen Tuum, ut (a) Pontifi-  
cio ore loquar, commendasti immortalitati.

Quid jam novum est, si Tibi adhuc Florentiæ agentî Henricus Nevvton, Britannicus ad Cosmum III. magnum Hetruriæ Ducem Ab-  
legatus, illustre hoc testimonium dedit. (b) „Nunc QUIRINUM  
viventis eruditionis, pietatis, & comitatis specimen, te socio  
inter libros convenio, suspicióque, proprijs aliquando, suique  
ingenij fœtibus augendos. Veniet Ipse in numerum illustrium aucto-  
rum. Veniet dixeram? Quasi in Mose suo non etiam nunc lege-  
retur, semperque legendus sit. „ Quid inexpectatum, si Joannes  
Georgius Schelhornius Bibliothecarius Memmingensis ad Te ita  
scripsit? „Bone DEUS! quàm stupenda in illis polyhistoria, quantæ  
ingenij, doctrinæ, sedulitatis opes, quod judicandi acumen, quæ  
suadæ medulla, ac profluens dicendi copia, quàm mirandus im-  
mensæ lectionis apparatus, quàm eximia in illo dignitatis culmine  
modestia, quanta denique abstrusa quævis, & ante hac nemini  
cognita ex intimis penetralibus eruendi solertia, atque felicitas,  
ut ipsas Tibi scriptitanti Musas, Gratiâsque adstitisse, mentémque  
manúmque flexisse dicendum sit. „ Ipsa nimirum veritas clarissi-  
mis, prudentissimisque viris, à Romana licet Ecclesia alienis, ma-  
num iniecit, ut tam magnificis te laudum testimonijs ultrò prose-  
querentur. Quò, amabò, tandem pretio tam famosa, planèque aurea  
nobis opera comparabimus? Jam pridem Eminent.<sup>ie</sup> Præsul, Prin-  
ceps clement.<sup>ie</sup> eadem omnia Bibliothecæ nostræ donec submissi-  
sti, ut & ipsa opera singularem Donantis munificentiam, eminen-  
tissimam eruditionem, summamque animi magnitudinem omni elo-  
quentiâ facundiùs, deprædicarent, & Eadem purpurata Donantis  
authoritas operibus suis ingentem splendorem conciliaret. Quid  
Brixienfis Bibliotheca è fundamento excitata, nobilissimisque qui-  
busque

hiscque libris instructissima? quid ipsa Bibliotheca Vaticana, cui præclarissimam, amplissimamque librariam Tuam suppellestilem donasti? An non hæc omnia muto quodam silentio conclamant, aurum Te profundere sine pretio. Aurum dico? Quin illam potius, in cuius comparatione omne aurum arena exigua est, Sapientiam.

State hic verba, suspendimini pennæ, obmutescite linguæ, & è Vaticana cathedra summum oratorem, CLEMENTEM, inquam, gloriosæ recordationis PAPAM XII. perorantem audite: (a) „Tuæque Virtuti gratulamur, quod perennis extabit Tuæ liberalitatis memoria inter monumenta insignium virorum, qui de Vaticana codicum suppellestile, deque universa re literaria optimè meruerunt, „ Quid ampliùs desiderari potest, ipso Pontifice illius virtuti, qui de universa re literaria optimè meruit, gratulante? Ecce tertium Liliū nostrum AUREUM SINE PRETIO, quod ipsis Vaticanæ Bibliothecæ valvis ingenti fiduciâ affigo, & cum Venausino olore accino: (b)

*Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.*

**H**ic stat oratio mea, & ad Vaticana summæ Sedis præconia venerabundo silentio obmutescit. Vidistis Aa! trigeminum, quod hodiè produxi, Liliū, & FOECUNDUM IN ARDITATE in Illustrissima, maximisque semper viris fecundissima QUIRINORUM familia. Et GRANDE PUSILLUM, in ANGELO MARIA Eminent.<sup>mo</sup>. Hospite, Principe clement.<sup>mo</sup> Et AUREUM SINE PRETIO, in tot aureis operibus ultrò in lucem datis.

Quid superest, nisi ut Te Em.<sup>mc</sup> Præsul, Princeps clement.<sup>mc</sup> postremum alloquar, Tuæque Purpuræ incultam eremum nostram, terram hanc aridam, & infæcundam, devotissimum populum, utrumque territorium, nostrumque hoc ordinis Tui monasterium substernam? Lilij est, apiculas pretioso invitare liquore, serpentes, omniâque venenata reprimere. An non inter eos vivimus, quos miserandum in modum Calvinii toxicum infecit? Sed ad Tua Lilia innocuæ confugimus apiculæ, mella argumentosè colligimus, sub Apostolicæ Sedis tutela securè confidemus. Lilij est, odorem suum præ cæteris floribus latè, diffusèque dispergere. Quid à Te magis, magisque sperare licet, quàm quod deinceps etiam absentis gratiosissimo odore, sive è Brixianis areolis, sive è Romanis pomceijs, recreabimur? Lillii denique est, præcisum etiam in nobilissimo suo, salu-

saluberrimóque lirino vivere. Et habemus jam in manibus hoc  
lirinum, laudatissima opera Tua, in quibus semper apud nos, ulti-  
mámque posteritatem nostram Nomen Tuum vivet immortale.

Tu verò tot hodiè Divinis ornata muneribus, gaude Divi  
GALLIereme, & isto tuo bono, quod tibi à Superis oblatum est, quan-  
tùm potes, exulta. Hic jam illud paulò immutatum accinereliceat:

*Deserta in hortos floridos  
Manu QUIRINI transeunt.*

Præsente Eminentissimo hoc Hospite, Purpuratóque Eccle-  
siæ Patre,

*Et cella GALLI parvula  
Vicina cælo jungitur.*

Sed quia vicinus jam cælo sum, ad cælos, ad cælos, inquam,  
postrema effundo desideria mea, vota, preces. Tuum inprimis sepul-  
chrum accedo Sanctissime, ut verè dicam, Pontifex BENEDICTE  
XIII. ad quod marmoream statuam hic ANGELUS MARIA suis  
sumptibus erexit, cuiusque toti beatæ URSINÆfamiliae peculiare  
monumentum honoris consecravit. Ad Te me converto admira-  
bilis monachorum Patriarcha BENEDICTE, in cujus pervigilio di-  
vinis præordinationibus ANGELUS noster primam hanc lucis usu-  
ram cepit, cuiusque Sanctissimum institutum amplexus, spretâ avitâ  
Majorum progenie, quasi *aridum mundum cum flore* despexit. Te  
suspicio sancte EPHRÆM Syre, cujus opera ex antiquissimis Va-  
ticanae Bibliothecæ scriptis, ipso hortante Romano Pontifice, CLE-  
MENTE PAPA XII. idem QUIRINUS summis laboribus in lu-  
cem edidit. Te Sancta PRAXEDES Virgo, Tuámque dexteram  
amplector, cujus nunc sacrae suæ Purpuræ titulum gerens, *sibi ex  
eo quotannis obvenientes tam certæ pecuniæ summam, quàm dotalis  
subsidiij assignandi potestatem perpetuò cessit, pauperum hujus Parochiæ  
calamitatibus sublevandis.* Te appello S. MARCE Papa, & glorio-  
se Christi Martyr, cujus priùs titulo insignitus, sacras aedes Tuas,  
altari summo magnificè erecto, stratóque ex marmore pavimento,  
condecoravit. Te invoco, individue comes Apostolorum Prin-  
cipis Sancte MARCE Evangelista, cujus peculiarem venerationem,  
fiduciam, obsequium, amorem cum ipso materno lacte imbibit; cuius-  
que, ut nullo alio nomine, sacrorúmque ossium thesauro Venetiæ glo-  
rianatur. Vos deprecor invictissimi Christi Pugiles sancti ABDON,  
& SENNEN, quorum sacra corpora, in ipsâ Basilica tumulata,  
pretiosissimis ornamentis illustravit. Vos obtestor PHILASTRI,  
GAUD.

GAUDENTI, RAMPERTE, ADELMANNE; Sanctissimi quondam Brixiae Antistites, quorum opera, veluti relictæ nobis inestimabilis pretij cimelia, publici juris fecit: Tibi præcipuè Sancte PHILASTRI magnificum Brixiae templum incredibili pietatis Zelo posuit. Vos imploro, fortissimi ejusdem Brixiae Tutelares, sancti FAUSTINE, & JOVITA, quorum illustre miraculum, quo Nicolao Picinino, Mediolanensium copiarum præfecto Brixiam obsidente, aureis armis super muros visi estis, urbem vestram defendere, invictissimis rationum momentis, typis excusis, contra mordaces criticos defendit. Te etiam, etiâque rogo Sancte ALEXI, cujus Ecclesiæ principem partem largo, profuso aere, reparavit, auxit, ornavit. Te quoque filiali fiduciâ interpello, sanctissime Tutelaris noster, locique hujus Fundator GALLE, cui operum suorum thesaurum dono dedit, ad cuiusque vepretum primum fuit, ut jam summo manè immaculatam Deo hostiam inenarrabili dilectionis dulcedine immolaret. Te etiam exoro, Princeps Apostolici culminis, Sancte PETRE, cujus servitijs totum se mancipavit, cuiusque sacrae Bibliothecæ omnem librariam suppellectilem, solo usu ad dies vitæ reservato, donavit. Téque Sanctissima Mater Dei, atque intemerata Virgo MARIA humiliter obsecro, cujus sanctissimum, dulcissimûmque Nomen ineffabili quodam mentis solatio fert; quique Te in celos assumptam, cathedralis Ecclesiæ Tutelarem, veluti peculiaris filius, teneriori complexu stringit; ad cuius denique Einsidlense apud Helvetios sacrarium devotissimam peregrinationem, & arduo itinere, & Purpuratus Senex suscepit. Tibi, inquam, cælorum Regina, vobis cœlestes Spiritus, sanctique Cœlites supplex advolvor:

Ut si hic ANGELUS MARIA QUIRINUS, sanctæ Præcedis Presbyter Cardinalis, & Episcopus Brixienſis omnia sua cogitata, dicta, opera, magnifica impendia, sumptuosas exstructiones, profusissimas eleemosynas, indefessos labores, perennes vigilias, arduos que sudores, atque aded omnem in venis sanguinem, vitæque hujus usuram unicè impendit, *ad incrementum Divinæ gloriæ, ad Pontificiæ sollicitudinis subsidium, & Apostolicæ Sedis ornamentum*, ad augmentum sacri Ordinis nostri, sacraeque familiæ Hieronymianæ, ad sui denique gregis emolumentum; Tunc Eundem & felicem, sospitemque, nobis, populoque suo adhuc necessarium, ad feros canos conservetis, & ad ultimum denique Deo suo vobiscum perfrui faciat, unicè desideratis curæ suæ Pastoralis, laborum, vigiliarum, zeli, magnificentiae, pietatis, modestiæ, charitatis, aliarumque virtutum, & meritorum præmijs æternâ æternitate æternaturis Dixi.

(a) Clem. XII. 1735. 15. Jan.

F I N I S.



*Sequuntur Orationes Græca, Hebraica, & Latina,  
quibus Altesatus Eminentissimus S. R. E. Cardinalis  
in Basilica Principalis Monasterij Sancti Galli  
exceptus fuit.*

## Oratio Latina.

**D**Eserta non deserta! EMINENTISSIME S. R. E. PRÆSUL, DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME! Deserta, inquam, non deserta, sed sua nonnunquam præ hesperidum illicijs fecunda floribus, ut jam ex regio vaticinio pinguescant speciosa deserti. Desertinam testor desertam illam quidē, sed Tuo nuper, Eminentissime Domine, Princeps Clementissime, nativo excultam Lilio, rosam potiùs dixero, aded' Tua ibi Purpura resplenduit, Sanctissimo Martyri sociata. Eremum dein' Marianam subintrāsti; O! Desertum iterum non desertum; quod altero Gentilitio condecorāsti Lilio, & eo quidem illibati candoris flore, utpote Maria Mariam genuino veneratus colore. Jam demùm de Tua apud nos exoptatissima præsētia quid dicam? Qui Desertum hoc nostrum desertum? Ubi & Eminentissima, Lilia Galli nostri spinas non perhorrescunt, & trinum perfectum in se complexa, per Te Eremita tota efflorescunt. Quo Te igitur, Eminentissime Præsul, Celsissime Princeps, aggratulantis animi verbō consalutem? eò fermè, quò Romanè Romanum Principem magnus ille Plinius: *Tam æqualis ab omnibus ex adventu Tuo latitia percepta est, quàm*

D

omnibus

*omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu Tuo crevit, & prope in singulos gradus adaucta est; testis ipsa est, quæ in ore omnium lætitia fuit, & etiamnum versatur: Cujus ego, sed penè mutum, unico veluti triverbio præconem ago, ac ore omnium uti Eminentissimum, ita Exoptatissimum, diuque Desideratissimum saluto Hospitem, Tuam nobis magnanimam exoro patientiam, perennaturisque semper gratijs commendo Desertum nostrum; Desertum, inquam? imò his candescentibus Lilijs Paradisum voluptatis.*

Angelus es, custodi.

Dixit R. P. Ignatius Mæsi  
Professor Rhetorices.



ΕΞΟΧΩΤΑΤΕ,  
ΚΑΙ  
ΕΥΛΑΒΕΣΤΑΤΕ, ΚΥΡΙΕ,  
ΑΡΧΟΝ,  
ΚΑΙ  
ΘΑΙΡΕ  
ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΡΩΜΑΙΑΣ

ΚΥΡΙΕ ΕΞΕΝΕ ΧΑΡΙΕΣΤΑΤΕ.

**Α**ΡΑΒΑΤΗΝ ἢ παρὼς τῶν σε ὄψις ἐν ψυχαῖς ἡμῶν ἤγει-  
ρε μάχην, μάχην ἐχ' ὀπλῶν ἀλλὰ παθῶν. ἐκεῖθεν ἀγω-  
νίζεται ὁ φόβος πλήρης τῆς εὐλαβείας, ἐνθεν τῷ φόβῳ  
μάχεται ἕως αἰδωμένατος. τὸ δὲ σε βεβλασθήκασι αἱ  
διόξαι μετεωρόταται σε, ἀξίαι πασῶν τῶν τιμῶν, καὶ με-  
γίστης εὐλαβείας. ἀγάμεθα γὰρ μάλις ἐν σοὶ τὸ ἔρεισμα ὅλην τὴν ἐκκλη-  
σίαν σπεινῆτα, σεβόμεθα ἐν τῷ προσώπῳ σε ἄγγελον, ὃν ὁ θεὸς κατέστη-  
κε φυλακτῆρα τῶν πιστῶν, σεβόμεθα σε ἀπόστολον τῆς χριστῆ, καὶ ἐπίσκο-  
πον τῆς ποιμνίας, ἐν ᾧ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔδετό σε, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλη-  
σίαν τῆς θεᾶς, ἣν περιποίησατο διὰ τῆς ἰδίας αἱματός. τίνα ἡ παρουσία τό-  
σε κυρίου ἐ συνελάσει φοβεῖσθαι μὴ δὲ δίσταται ἕως ἐδυνάθη ἀπ' εὐλα-  
βείας ἡμεῖς γὰρ Ρωμαῖοι τῷ ἱεράρχῃ δεσλευωνέμενοι, μεγίστῳ τῷ ἀγαπή-  
ματι τῶν ἐγγύτατον αὐτῷ περιπλεκόμεθα. γνώριμόν ἐστι ἡμῖν τὸ συμπλέ-

κτεταῖ.

κινῶ αὖ σε τῇ ἀρχιεροσύνῃ, ἐπεὶ εἰς τὴν μερίδα τῆ φροντίξιν ἐφωνήθης, γινώ-  
 ριμαί ἔστι ἀρεταί σε, φρόνησις, σοφία, καὶ ἐπισήμη, ἣν κατέχει, ἀξία τῆ  
 ἐπάγγελται καὶ παρὰ μικρὸν τῶν ἀγγέλων. Ἀπάντα μεγίστην ἐν ἡμῖν τὴν  
 ἀγάπην ἐγέννησαν. Τοιγαρὲν ὁ φόβος, καὶ ἔρως ἐν ψυχαῖς ἡμῶν μάχον-  
 ται. Νικᾷ ὅ ἡ ἀγάπη, καὶ ἀναρρήγνυται εἰς τὰ ἀλαλάγματα χάριματά  
 τε· καὶ τίς ἐν τοιούτῳ καμῶ, καὶ τῇ παρυσία τοσούτου τῆ Ξένης ἐκ ὀρχήσε-  
 ται; Ἀβραὰμ ἐχάριξ ξενοδοχήσας τρεῖς τὰς ἀγγέλους· χαίρομεν ἡμεῖς, ἐν ταῖς  
 μόνα σοι ὧς δεχόμενοι τὰς τρεῖς ἀξιοτάτης παντός τῆ κλείους· ὧς δε-  
 χόμεθα γὰρ ἀριθμητότατον τῆς ἐκκλησίας ἀρχόν, ὧς δεχόμεθα τὸν  
 ἀγρυπνούντα ποιμένα τῶν ψυχῶν, ἐπίσκοπόν τε, ὧς δεχόμεθα ἄνδρα  
 θαυμασίας τῆς ὀπισήμης, ἀρετῶν τε γήδει· ὦ μακαριωτάτη ἔρημε τῇ Γάλ-  
 λῃ, μετόχη ὡς ἐκκρίτης τῆς χάριτος. Σὺ ὅ Ξένη ἐξοχώσῃ, καὶ  
 χαρίσῃται μικροῦτον τὸ ταμῆιον ἡμῶν διὰ παρυσίας  
 σε κατὰ λάμψειν ἐκ ἀπαξίας.  
 ἔιπα.

Dixit R. P. Ysfo Walser  
 Professor Linguae Graecae.



סגז

שלמיס

מלכיי צדק וכודין

המעלות

בארץ גודל פראשיא

קצין הבית

הספרים בגדולה עיר

עליון כין חשמנים

אשר מגני וצודי קהלה רומייה

אדון אדון חניכות חסדים

אדרים:

# שלום לך:



שרי החכיות הקדוש גללו  
וארצו ליהרו בבוא אתך  
אלינו אב ברכות מתוק  
מאד : ומלאך אתה לכוה תבשר  
ולא טבית מאד עלינו מכהן כהנים  
בארץ: מלאך אתה שמור כגנך על  
עלינו כאשר רפאל על בית טוביע  
לשמור: מלאך אתה גדולה עצה  
עצתך עלינו בעצת גבריאל על  
דניאל לכוון: מלאך אתה עוז שלום  
וישע: מלאך מרים אתה יס המור  
לאויבי קהלת משה קדש: יס אתה  
כל

כל --- הדע: שלום יען אה נדרינו  
 חמדינו ויאהבותינו: שלום לך מא  
 מלאך שלום לך מריסתה מלאך  
 תחיה מריסתה לארני תחיה לע  
 לעצמך תחיה לקהלה תחיה לנו:  
 אמר נא לכהן כדכי כל ארץ אהינו  
 למוען ייטב לנו בעבורך וחייתה  
 נבשמו בגללך:  
 אמרתי:

Dixit R.P. Honoratus Peyer  
 Professor Linguae Hebraicae.



EXTRA

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΕΠΙ ΤΩ ΚΟΙΝΩ ΤΑΦΕΙ  
ΤΩΝ ΕΝ ΤΗ ΕΚΚΛΗΣΙΑ ΤΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ  
ΑΓΓΛΩΝ ΚΑΙ ΓΑΛΛΩΝ ΕΚ ΤΗΣ  
ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΝ ΤΗ ΠΟΛΙΤΕΙΑ  
ΕΝ ΤΗ ΕΚΚΛΗΣΙΑ ΤΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ  
ΑΓΓΛΩΝ ΚΑΙ ΓΑΛΛΩΝ ΕΚ ΤΗΣ  
ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΝ ΤΗ ΠΟΛΙΤΕΙΑ  
ΕΝ ΤΗ ΕΚΚΛΗΣΙΑ ΤΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ  
ΑΓΓΛΩΝ ΚΑΙ ΓΑΛΛΩΝ ΕΚ ΤΗΣ  
ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΝ ΤΗ ΠΟΛΙΤΕΙΑ

